

conclusio. Ut qualiter quis acceptaverit, taliter fiat debitor, Heidig. Anleith. zum B. Recht. cap. 8. vers. welcher massen/tutiùs tamen agit, ut, qui sub protestu acceptavit in solutione protestationem iteret, ne à priori videatur esse recessum, Bod. thes. 7. lit. m. Per acceptationem tamen non liberatur trassans, nisi secutâ actuali solutione, Dupuy cap. 11. n. 2. eapropter, si acceptans pendente termino solutionis decoxerit, fiatque insolvens, præsentanti regressus contra trassantem salvus remanet, Stryck. de camb. litter. accept. cap. 4. §. 7. Raph. de Turr. q. 10. n. 7. & seqq. quest. 12. per tot. Willenbach. ad ff. part. 2. disp. 28. n. 6.

DISSERTATIO XII.

De Solutione litteræ cambialis.

A Cceptionem cambiorum sequi necessariò debet solutio, quæ est ultima contractus cambialis consummatio, cum illa sit intentio cambientis, ut in loco disfito summa litteris contenta solvatur, hinc in præsentî Dissertatione circa solutionem notandæ sunt sequentes Assertiones.

§. 1. Prima. Quod acceptans in termino non attentis quibuscunque exceptionibusolvere teneatur litteras acceptatas, sic ut executivè ad solutionem astringi possit, dictum est *Dissert. præced. §. 7.*

§. 2. Secunda. Solutio fieri debet soli præsentanti, ubi tamen non sufficit, eum habere & præsentare litteras cambii, sed insuper requiritur, ut solvendæ sint vel tenore litterarum, vel vi ordinis sive cessionis ab illo, cui jus ex iisdem competit, vel ut habeat mandatum exigendi, Dupuy cap. 13. n. 2. & 3.
Debet

Debet igitur acceptans indagare, ut probe sciat ordinem esse verum; nam ad ordinem falsum, vel ei qui nomen in ordine mentionatum falsò sibi affingit male solvetur, & vero præsentanti denuo solvi debet. Dupuy *cap. 13. n. 8.* Scacc. §. 2. *Gloss. 5. n. 341. & 347.* Quo autem casu in legitimatione personæ ad cambium defecerit tempore solutionis, vel per ignotos præsentetur, pecunia ad locum securum deponitur, vel etiam erga præstitam sufficientem cautionem extraditur. Leipzig. *W. D. art. 11.* Hamburg. *W. D. art. 41.* Braunschweig. *W. D. art. 43.* Alte Breslaw. *W. D. art. 3.* Sollen in solcher Beschaffenheit bey Aufgang der *Respit* Tage die Gelder *deponirt* oder gegen gnugsame geleistete *caution* aufgesolget werden. Dupuy *d. cap. 13. n. 9.* §. *axiom. 4.* Assertio patitur exceptionem 1. Si is, cui litteræ solvendæ sunt, decoxerit, tunc enim creditores, vel ille pro cujus computu facta est remissa, autoritate Judicis obtinere possunt, ut sibi solvatur. Dupuy *dict. cap. 13.* Patitur exceptionem 2. Si præsentans fuerit merus mandatarius & mandatum fuerit revocatum, *l. 106. ff. de solut.* dummodo debitor de revocatione mandati fuerit certioratus vel privatim, *arg. d. l. 106. l. 51 ff. de solut.* vel publicè juxta formam, *l. 11. §. 3. ff. de instit. act.* Alioquin jure solvetur præsentanti, si non præcesserit certioratio, *l. 5. §. 9. §. 11. ff. de instit. act.* Patitur exceptionem 3. Si mandatarius tale admiserit crimen, ut patriâ exulare cogatur, & id notorium esset, tunc enim solutio, si facta esset, nullius extaret momenti, Scacc. §. 2. *Gloss. 5. n. 402. §. 403.* Quod procurator ipso jure revocatus censeatur, qui mores in dete-
rius

rius mutavit, sic ut intimatio hujus mutationis non sit necessaria, Scacc. *cit. loc.* Unum ad præsentem assertionem pertinens, & inter mercatores in praxi usitatissimum notare lubuit, quòd scilicet in hoc contractu unus plurium vices sustinere possit, præsentantis & acceptantis, debitoris & creditoris, quando scilicet acceptatio cambii dirigitur in ipsum præsentantem, ut quis à se ipso solutionem exigit, sibi que ipsi solvat, Gait. *de credit. cap. 2. tit. 7. n. 1392.* Quod nullam involvere repugnantiam argumento sunt. *L. 6. in fin. l. 38. in pr. ff. de negot. gest. l. 31. §. 1. ff. de heredit. velit. l. 9. §. 4. de pecul. l. 31. ff. mandat. ibidemque Gothof. in not. lit. t.* Quidquid contendat Scacc. §. 6. gloss. 1. n. 25. Id ipsum propter utilitatem per aliquam fictionem receptum esse. Solvere autem sibi in hac materiâ nihil est aliud, quàm dare debitum & creditum, scripturamque dirigere, Rot. *Gemens. decis. 2. in pr. C. n. 4.*

§. 3. Tertia. Quamvis mercatores in concipiendis litteris cambialibus non rarò utantur nummismate ficto, Heidig. *cap. 6. vers. C. s. i. aber / C. seqq.* Bod. *thes. 5. per tot.* Vogt. *thes. 6. lit. b.* Addens rationem, cur mercatores de fictis hujusmodi nummis inter se convenerint, solutio tamen in pecunia hac imaginaria non præstatur, sed illâ reducâ in currentem monetam fieri debet in pecunia numerata, Vogt. *thes. 6. lit. b. pag. m. 92.* Quæ dicitur in contanti, sive perfecta & actualis solutio, Bod. *thes. 7. lit. n.* Interim tamen realis hæc solutio triplici potissimum modo contingit, per cassam scilicet: scontro sive riscontri, & assignationem.

§. 4. Quarta. Per cassam solvere, idem est, quod solvere in pecu-

pecunia numerata juxta consuetudinem vel statutum loci, quo solutio destinatur, cambiata, germanicè Wechselgeld / quæ hic Coloniae, nisi alia in litteris expressa fuerit, ad minimum sunt blaffardi vel medii blaffardi, Hiesiger Statt Cöllen W. D. S. achtens. Daß alle Wechselbrieff / welche in current Geld zu zahlen gestellt seind / mit keinen Petermänner / sonderen mit ordinarie currant Geld / zum wenigsten in Blaffert und halb Blafferten zahlt werden sollen. Ita ut non teneatur præsentans solutionem in moneta minutori vel minus æstimata recipere, licet differentia minoris valoris vellet rescari. Quæ moneta pro aliis locis in cambiis recepta sit, ex diversis Ordinationibus cambialibus refert Ludov. Einleith. zum W. P. cap. II. à §. 36. usque 46.

Quinta. Solutio per Riscontri. Italis Scontrar. seu Pagar §. 5. in Scoretri, in feriis ut plurimum usitari solita (non tamen nisi inter volentes, & consentientes, Braunschweig. W. D. art. 24. Franckfurth W. D. §. 16. Auch die Riscontri selbst / wan sie nicht mit Approbation deren sämtlich riscontrirenden Persohnen sürgangen / hiemit für ungültig declarirt seyn soll) est species compensationis, quæ ad evitandas varias difficultates & tædia in reali pecuniæ numeratione contingentia (propter quæ nostra potius interest non solvere, quàm solutum repetere, l. 3. ff. de compensat.) loco realis subintrat, & fit 1. Si præsentans vicissim debeat acceptanti, vel in alio casu, si præsentans vel creditor A. dicat suo debitori B. præsentanti, ut pro se solvat mercatori C. cui similiter debet talem summam, hic C. verò tempore & loco, quoad scontrandum conveniunt mercatores, Debitori B. prælegit suos

creditors ex Bilanzio, inter quos si B. reperiatur aliquem, E. g. D. qui sibi debeat, hi duo B. & D. scontrationem faciunt, sive debita hinc inde in suis libris describunt, vel pro toto, vel parte; hæc scontratio in memorialibus mercatorum respectivè scontrantium ad hoc specialiter confectis annotatur, quod incontriren dicunt, Braunschweig. W. D. art. 24. quam verò fidem mereantur hæc memorialia, Italis Sartafaccia, Germanis Scontro Bücher / vid. apud Ludov. Einleith zum W. P. cap. II. §. 49. p. m. 198.

- §. 6. Sexta. Solutio per assignationem fit, quando præsentans, vel creditor cambii assignatur, ut pecuniam apud tertium in computum cambii recipiat, quæ invitis non obtruditur, Leipzig. W. D. art. 25. Markische W. D. art. 35. Magdeburg. W. D. art. 31. Danzig. W. D. art. 16. Hic Coloniae tamen propter speciale statutum, prima assignatio etiam ab invito acceptari debet, Statt Cöllen W. D. §. sechsteus. Das wegen der assignationen / so einer dem anderen unterweilen zu Erhebung der Zahlung an andere Kauffleute zumuthet / und geben thuet / derjenige / so den Wechsel zu empfangen / für das erstemahl zwar annehmen schuldig seyn solle. Limita Ordinat. camb. Colonienf. 1mò, Quod si prima non honoretur, ulterior non recipiatur, sed redditâ assignatione solutio per cassam urgeri possit, Statt Cöllen W. D. diff. §. in verb. Wan aber dabey keine Zahlung erfolgt / alsdan Macht haben (præsentans) selbige dem assignierenden zuruck zu geben / und die Zahlung per cassa sich thuen zu lassen / und sonst vorgesehter Massen viâ executiva zu suchen. Limita 2. Quod ultimâ die

die discretionis nemo teneatur admittere assignationem,
 Statt Cölln W. D. §. fünfften. Daß wan nach einem
 acceptirten Wechselbrieff der sechster Tag verlauffen / keine
 assignationes mehr gelten / sonderen selbiger *absolutè per*
casta bezahlt werden soll. Cæterum per assignationem non li-
 beratur assignans, & si assignatarius fallat vel fiat insolvens
 (dummodo moram in exigendo non commiserit assignatus)
 periculum est assignantis, Statt Cölln W. D. §. 7. Daß
 alle assignationes auf Gefahr der assignanten geschehen sol-
 len. Nisi ex utriusque partis consensu facta fuisset delegatio.
 Statt Cöllnische W. D. cit. §. siebentes. Es sey dan /
 daß der assignatus die Anweisung *absolutè* annähme. Quod
 in dubio non præsumitur inter mercatores, Stryck. in us. mo-
 dern. ff. tit. de hered. vel act. vendit. Plures modos solven-
 di cambium recenset Heidig. cap. 8. §. Ist noch / pag. m. 87.
 Quos, cum hodiedum non frequententur, consultus præ-
 tereo.

Septima. Tempus solutionis vel ex partium placito deter- §. 7.
 minatur & exprimitur in litteris per vocabula nach sicht / id
 est: ac mox post visas litteras. Acht vel vierzehn Tag nach
 sicht: octo vel quatuordecim diebus post visas litteras, qui
 currere incipiunt à prima die post factam acceptationem, per
 ea quæ tradit Struv. exercitat. 5. thes. 31. Statt Cöllnische
 W. D. §. Zweytens. nisi acceptatio à trassato fuisset retar-
 data, tunc enim terminus computatur à die primæ præsen-
 tationis, ad quem acceptatio quasi retrahitur, quod in
 æquitate fundatum esse putat Ludov. Einleith. zum W. D.
 cap. 4. §. 64. Hamburg. W. D. art. 26. Leipzig. W. D.
 art.

art. 15. Ein/zwey Monath à dato, post unum vel duos menses
à die datarum litterarum, quod tempus computatur à prima
die sequente diem datarum litterarum, & dies quo data est non
computatur intermino, Statt Cöln. W. D. S. Zweytens.
Daß von allen Wechselbrieffen / welche einige Tag sicht/
oder nach sicht / oder auff einige dato oder nach dato gestellet
seynd / davon die Zeit erst zu lauffen anfangen solle den
folgenden Tag / als nemlich ein Wechsel ist gezeichnet /
oder datirt / den ersten Julii zu zahlen / drey Tag sicht
oder nach sicht / drey Tag dato oder nach dato, von solchem
Wechselbrieff soll der vierte Tag vor den Verfall Tag ge-
halten werden. Den ersten Aprilis zahle der Herr. Et
dies solutionis (nisi aliud habeant statuta locorum) est eadem
illa, quæ in litteris reperitur nominata, Ludov. Einleith.
zum W. P. cap. 4. §. 66. Medio Februarii, & in quibusdam
plateis decimus quintus, Markische W. D. art. 15. Magde-
burg. W. D. art. 13. in Saxonia decimus quartus dies mensis
habetur pro die solutionis, Leipzig. W. D. art. 15. verb. Ein
Brieff / in ordinatione cambiali hujus Civitatis desuper nihil
disponitur, ex consuetudine tamen decimus quartus dies
mensis est terminus solutionis. Im Monath Februario & ul-
timo die mensis fit solutio, Augspurg. W. D. art. 5. in fin.
cui accedit ratio, quòd in favorem debitoris id æquum sit.
Vele ex consuetudine loci, quòd destinata est solutio, terminus
solutionis præfigitur, & in litteris exprimitur per vocabula
à uso, id est: secundum usum & consuetudinem, qui pro
diversitate locorum variat, vid. Ordinat. camb. à Ludov.
cap. 4. §. 69. recensitas. Dupuy cap. 4. à n. 30. usque 44.
Hic Colonia usus sunt quatuordecim dies post factam accep-

rationem, non secus ac si litteræ conceptæ sint quatuordecim diebus post visas litteras. *Uso doppio* est usus duplicatus sive 28. dies. *Mezzo uso* medietas usus, consequenter septem dies. In feriis tempus solutionis semper idem est, vocaturque septimana solutionis. Bod. thes. 6. lit. b. quæ Francofurti est secunda hebdomada feriarum.

Octava. Ultra tempus solutionis acceptanti in sui favorem §. 8. concedi solent aliquot dies, intra quos adhuc solvere & præsentans citra præjudicium eos expectare potest, vocanturque dies discretionis. *Respit vel Respect Tage / Nach-Tage oder Ehren-Tage* / qui licet in Saxoniâ & Borussiâ sint abrogati, Leipzig. W. D. art. 15. in fin. Preussisch Land-Recht l. 4. tit. 18. art. 2. §. 4. Stryck. de camb. litter. accept. cap. 4. §. 20. aliis econtra in plateis adhuc obtinent, & pro diversitate earum plures sunt vel pauciores, hic Coloniae sex dies continui à primo die post diem solutionis computandi permittuntur, Statt Cöllen W. D. §. Und zwar. in verb. *Daß ein acceptirter Wechselbrieff durch Mangel richtiger Zahlung auff dem sechsten Tag nach dem Versall Tag soll müssen protestirt werden / zu rechnen den ersten Tag nach dem Versall Tag vor den ersten / woll zu verstehen / daß die Sonn- und Feiertage / welche inwendig selbiger Zeit vorkommen / gleichfalls unter obgemelten sechs Tagen begriffen seyn*; quæ licet generaliter loquatur, sic ut ne quidem excipiat cambia in brevi vista vel dato concepta. Limitandam tamen assertionem putarem in cambiis a vista positis, quorum solutio intra primas 24. horas urgeri potest. Ludov. Einleit. zum W. P. cap. 4. §. 78. p. m. 110. & feriarum quæ in

Sabbatho septimanæ solutionis præcisè solvuntur, *Frankfurt. B. D. art. 10.* In reliquis omnibus casibus ex generalitate statuti concedendos esse non dubito.

§. 9. Quæri hic posset, quid dicendum esset, si cambium, cuius solutio in certum diem determinata fuit, post effluxum non solum diem solutionis, sed omnes etiam dies discretionis prius adventarit in loco solutionis? R. Hoc casu non à die præsentationis vel acceptationis, sed die in litteris designato numerantur dies discretionis, sic ut his pro parte effluxis acceptans solummodo gaudeat reliquis; omnibus verò præteritis solutio incontinenti, id est: intra 24. horas fieri debeat, *Augsburg. B. D. art. 6. Nürrenberg. B. D. art. 5. Danzig. B. D. art. 21.*

§. 10. Nona. Quantumvis regulariter quis ante diem solvere possit, debitorque per solutionem anticipatam liberetur, *l. 31. §. 6. de donat. inter vir. & uxor. l. 137. ff. de solut.* contrarium tamen in cambiis *trassatis* introductum & receptum est, ita quidem, ut si acceptans ante determinatum tempus solverit, præsentans verò decoxerit, periculum & damnum sit ejus, qui ante diem solvit, absque quod regressum habeat contra *trassantem*, remittentem sive mandantem solvi. *Alte Breslaw. B. D. art. 12. Braunschweig. B. D. art. 30. Preussische B. D. art. 27. Danzig. B. D. art. 24. Hamburg. B. D. art. 31.* Es soll niemand einigen Wechselbrieff bezahlen / ehe und bevor derselbe betaget und verfallen / dan da es sich begäbe / daß derselbe / an welchen die Bezahlung vor Verfallzeit geschehen / inmittels fallirte / auff solchen Fall ist solchane Bezahlung zum Nachtheil

theil und Gefahr dessen / der den Wechsel vor der Zeit bezahlt hatt. Rationem assertionis dat Heidig. *Anleith. zum W. Recht. cap. 8. vers. Nachdem wir / p. m. 85. Bod. de camb. thes. 7. lit. i. Dixi Trassatis cambia enim propria etiam ante diem rectè solvuntur, Ludov. Einleith. zum W. P. cap. 3. §. 14.*

Decima. Sicut solutio non potest fieri ante terminum, sic §. 11. è contrario, si præsentans vel non adsit in termino solutionis, vel recipere nolit solutionem, acceptans poterit summam integram litteris contentam autoritate Judicis consignare, omneque tunc periculum, & damnum devaluationis monetæ, &c. spectat ad præsentantem. Dupuy c. 13. n. 9. Ob signatione enim integræ summæ debiti solenniter factâ liberationem contingere manifestum est, ex leg. 9. cod. de solut.

Undecima. Per solutionem solvens sibi acquirit actionem §. 12. mandati contrariam adversus trassantem ad consequendam restitutionem pecuniæ solutæ, & expensarum intuitu cambii factarum, sicut & ad obtinendam suam provisionem, Heidig. *cap. 11. vers. Letzlich der jenige. p. m. 106. quas de singulis 100. est $\frac{1}{4}$ pro cento. Pro honore verò litterarum solvens utilem sibi negotiorum gestorum actionem acquirit, vid. supr. dissert. 11. §. 5. confer Bod. de camb. thes. 7. lit. p. §. 9.*

DISSERTATIO XIII.

De Protestatione Litteræ Cambialis.

Protestum interponit vel acceptans ipse, si non simpliciter, sed pro honore litterarum acceptet, & solvat. vid. *supr. dissert. 11. §. 5. vel præsentans dupiici ex causa. Ob denegatam*